

praefatus Aurelianus abbas aut successores eius voluerint eligere tutorem sive causidicum<sup>a</sup> ad res ipsius monasterii inquirendas seu defendendas, liberam in omnibus habeant facultatem, ita dumtaxat ut omnes comites<sup>b</sup> et cuiuslibet administrationis<sup>c</sup> iudices sive<sup>d</sup> ceteri dei omnipotentis nostrique fideles, ad quorumcumque placitum et ante quorumcumque<sup>e</sup> iudicium ipsius coenobii advocatus venerit, pro dei amore et nostra iussione in cunctis iustis rationibus<sup>f</sup> solatium ei atque adiutorium praebeant talemque potestatem et auctoritatem ad res easdem inquirendas sive defendendas habeant<sup>g</sup>, qualem decet in rebus omnipotenti domino oblatis et consecratis et sicut in nostris propriis sese regalis habet auctoritas, nullus contra advocatum saepe memorati coenobii testes adhibeat, sed ipsi tribuatur<sup>h</sup> facultas ipsas res, sicut in nostris propriis consuetudo est, defendendi. Si autem, ut contingere solet, aliqua necessitate impellente ad nostram se proclamaverint praesentiam, nullus iudex, nulla potestas missum eum distringere et molestare praesumat, sed ad nostram praesentiam liberam habeat potestatem veniendi. Et ut haec auctoritas nostris futurisque temporibus domino protegente valeat inconvulsa permanere, manu propria subter firmavimus et anuli nostri impressione assignari iussimus.

a) 'causidum' A.      b) 'communes' A.      c) 'administrationes' A.  
d) 'sivi' A.      e) 'quorum' A.      f) In Urk. Karls d. K. 'ratiociniis', wohl  
Lesefehler.      g) 'habeat' A.      h) 'tribuatur' A.